

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6420

Auteur(s) : Eugène III [pape]

Bénéficiaire(s) : Osbert, Rouen, Saint-Lô (prieur)

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Lô (prieur)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1144

Lieu d'émission : Parme

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par le pape Eugène III de la régularité à Saint-Lô.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° V, p. 290-292.
- b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 29, p. 95-96.

Texte établi d'après a

Eugenius episcopus servus servorum dei dilectis filiis Osberto priori Sancti Laudi de Rothomago eiusque fratribus regularem vitam professis. In P.p. M. Religiosis desideriis dignum est facilem prebere consensum ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Ea propter dilecti in domino filii venerabilium fratrum nostrorum Hugonis Rothom. archiepiscopi et Algari Constantiensis episcopi studio annuente professi estis sedis apostolice auctoritate firmavimus ut in eadem ecclesia perpetuis temporibus inviolabiliter conservetur nec alius ibi de cetero nisi cononicus regularis instituat presentis decreto sancimus ipsam quoque ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et scripti nostri privilegio communimus statuentes ut quascumque possessiones quaecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste et pacifice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Brealtare cum ecclesia et decimis totius parrochie, Aclou cum ecclesia et molendino, unam prebandam in Burdineio cum ecclesia et molendino. Decimas ecclesie de Blovilla et Menilleio de Aqua pluta et Escuris. Ius vestrum in ecclesia de Aagon cum medietate decime totius parrochie. Ius vestrum in ecclesia Sancti Joannis in Rothom. In festivitate Sancti Laudi de dominio Normaniæ unum cervum et sex solidos in moneta. Unum aprum in festivitate Sancti Rumpharii et decimas quasdam in Rothomago. Decrevimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione

sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Constantiensis episcopi justitia et reverentia et apostolice sedis auctoritate. Salvis etiam prebendis canonicorum secularium qui adhuc in eadem ecclesia presentes existunt. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit secundo tertio ve commonita nisi presumptionem suam digna satisfactione congrua emendaverit potestatis honorisque sui dignitate careat. Reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco servantibus fiat pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Datum Parme, anno Domini millesimo centesimo quadragésimo quarto.